

torum, v. g. sex ex decem., nam idem servatur in electione.—2.º Si postulatio concurrat cum electione, ut illa prævaleat, debent duæ partes ex tribus in postulandum concurrere, ut 16. ex 24.; secus prævalebit electio, si electus pro se habeat saltèm unum votum supra tertiam partem, v. g. 9 ex 24., ejusque electio confirmanda est. Ità communior sententia DD. *ec. c. Scriptum 40 de Elect.* in quo Innoc. III condit jus speciale exceptum à dispositione *c. 42 eod.*; alioquin caput istud superfluum esset in jure. Ratio congruentiæ est, quia ad postulationem, utpotè viam extraordinariam et odiosam, meritò plus requiritur, quàm ad electionem ei permixtam, utpotè favorabilem. Et pro hac sententia stat praxis curiæ romanæ: nam Innoc. XI *an. 1688 die 20 Sept.* in judicio appellationis rescidit sententiam latam pro Cardinali Furstembergio, Episcopo Argentoratensi, per 13 vota ex 24 postulato ad Archiepiscopatum Coloniensem, et confirmavit electionem Clementis, Baviaræ ducis, per novem vota ex 24 electi.—Nec obstat textus *citat. c. ibi: et si partes consenserunt*; nam consensus iste partium referendus est ad priora circa jus suffragandi, non verò ad ultimam partem dispositivam à Papa factam. Ità glossa major, quidquid dicat glossa anterior. Nec etiàm generales dispositiones obstant *c. 3. 5. h. t. c. 30 et 42 de elect. c. 4 de his quæ à major.*; nam his prævaleat specialis dispositio expressa in *c. 40 de elect.*

69. Q. VII. *An rejicienda sint vota incerta et indeterminata?*

R. Affirmative; et ideò Bonif. VIII (*cap. un. h. t. in 6.*) rejicit illas formulas: *eligo postulandum, postulo eligendum, postulo et eligo, prout meliùs de jure valere potest.* Quæ ultima formula permittitur in casu probabilis dubii, an persona sit eligenda, an postulanda, v. g. propter defectum ætatis, natalium etc.

70. Q. VIII. *Quis sit effectus postulationis?*

R. 1.º Postulatio ut præsentata superiori, id operatur, ut postulantes ampliùs variare, seu ab illa resilire non possint (*c. 4 h. t. ibi: si enim*), ne scil. superiori illudatur, ejusque judicium ex postulantium arbitrio pendere videatur. A sensu contrario, si postulatio actu non sit præsentata, locus est variationi, cum postulato nullum sit jus quæsitum (*c. 5 h. t.*)—2.º Postulatio ut admissa à Superiore, vim habet confirmationis, et jus reale in prælatura tribuit postulato (*cap. 2 h. t.*)—3.º Postulatio simplex, ut admissa tribuit licentiam subdito, ut electioni de se factæ consentire possit. Talem licentiam à Papa obtinere debent Cardinales non Episcopi, quia ex officio suo sunt subjecti Papæ in ordine ad regimen totius Ecclesiæ (*cap. 57 de elect.*) Prælati et alii Clerici Episcopo inferiores à suis superioribus, si quibus subjecti sunt (*c. 36 de elect. in 6. Clem. un. eod.*)

Cetera ferè omnia servanda sunt sicut in electione, v. g. quod postulatio intra octo dies præsentanda sit postulato, et is intra mensem mentem suam aperire debeat, an postulationem acceptet, putà conditionatè, si superior eam admiserit, neque interim se administrationi immisceat etc.

## TITULUS VI.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE. <sup>a</sup>

71. Nota. I. Electionem hic non accipi latissimè pro quacumque provisione ad beneficium ecclesiasticum, quo modo comprehendit præsentationem, collationem etc.; nec pro quacumque provisione, quæ fit cum interventu suffragiorum, quo modo alicubi decani et alii officiales solent eligi; sed strictè pro provisione suffragativa ad dignitatem pastoralem vacantis Ecclesiæ. Quo sensu electio est: *Personæ habilis canonica vocatio ad vacantis Ecclesiæ dignitatem pastoralem per vota capitularium facta, et per superiorem confirmanda.* Ità in re com. ex *c. 7. et 42. h. t.* Ex qua definitione patet discrimen inter electionem et postulationem: nam postulatio est provisio extraordinaria, seu subsidiaria personæ de jure impeditæ, innititur gratiæ, et ideò dicitur admitti, nullum tribuit jus postulato, isque non potest in illam consentire, nisi sub conditione dispensationis: electio verò est provisio ordinaria personæ de jure habilis, seu nullo impedimento laborantis, innititur juri, et ideò dicitur confirmari, electo tribuit jus ad rem, et electus absolutè in eam consentire potest. In ceteris plerùmque conveniunt, quia utraque per eandem formam tendit ad providendum sedi vacanti.

Nota. II. Primitùs Episcopus electos et constitutos fuisse ab Apostolis (*c. In novo 2. dist. 21.*), tum à Romano Pontifice (*c. Omnes 1. d. 22.*), deinde à toto clero cujusque diocesis (*c. fin. Qui in aliquo d. 51.*); tandem aucto clericorum numero, ad vitandas confusiones et discordias, jus eligendi attributum est capitulo cujusque Ecclesiæ (*c. fin. 16. q. 7. cap. Nullus 4. h. t.*) Est autè capitulum, plurium clericorum collegium, qui sub uno prælato tanquam membra sub uno principali capite vivunt; alioquin, si sub uno capite non viverent, non communitas, sed singularitas esset. Ad constituendum capitulum seu collegium, à principio requiruntur saltèm tres (*arg. l. 40. in fin. ff. de V. S. ibi: ne duo quidè familiam faciunt; et l. 85. eod. Neratius Priscus tres facere existimat collegium.*) Pauciores tamèn requiruntur ad conservationem collegii. Et quidè, si duo supersint, manet collegium actu, sed imperfectum; si unus superest, manet collegium habitu, non actu; si nullus supersit, jura realia collegii manent in parietibus, vel his dirutis, in solo et fundo. Laym. et alii. Cetera de capitulo traduntur in *lib. 3. tit. 11.*

Agetur hic:—1.º de personis eligentibus et eligendis:—2.º de forma et

<sup>a</sup>—De hac materia agitur in Sexto, in Clem., in Extrav. Joan. XXII. et Comm. h. t.—In Decreto *dist. 60. 61. 62. 63. 69. et 1. q. 6. et 8. q. 1. 2. 3. et 18. q. 2.*—In Trid. *Sess. 7. cap. 1. de refor. Sess. 22. cap. 2. Sess. 24. cap. 1. et 12. Sess. 25. cap. 6. et 7. de Regul.*

qualitatibus electionis:—3.º de intimatione et confirmatione ejusdem:—4.º de quibusdam electionibus in specie.

### § I.

#### De personis eligentibus et eligendis.

72. Q. I. *Qui de jure communi habeant vocem activam ad eligendum Prælatum?*

R. 1.º Soli et omnes capitulares, nisi specialiter à jure prohibeantur, c. 1 et 14 h. t.; ubi potestas ista conceditur iis solis et omnibus, qui tanquam fratres et membra collegium constituunt; adeoque excluduntur alii clerici, ut capellani, pensionarii et similes, qui non sunt membra capituli.—2.º Ut capitularis possit eligere, sufficit ut bona fide sit in possessione certa beneficii, licet ei lis moveatur super proprietate aut possessione tituli, (c. 24 h. t.); nam lis pendens non aufert commoda et fructus possessionis certæ; sed electio est fructus possessionis beneficalis; ergo non impeditur per litem pendentem, etsi facta electione evincatur defuisse proprietatem in beneficio.—Nec obstat c. 2 de in int. restit.; nam monachi non erant in certa possessione juris eligendi Abbatem, l. 22 C. de R. V.; nam, re evicta, illi tantum fructus sunt restituendi, qui sunt pretio æstimabiles, qualis utique non est electio.

73. Q. II. *Qui ex jure speciali possint eligere?*

R. 1.º Clerici extranei, si jus eligendi acquisiverunt, vel ex fundatione (cap. 23 de jur. patr.); vel ex præscriptione, aut consuetudine saltè 40 annorum (arg. c. 8 de consuet. et c. 4 de postul. Præl.), vel ex privilegio apostolico, vel ex pacto, aut conventionione, seu consensu omnium capitularium, saltè pro una vice: jus autem eligendi in perpetuum non potest extraneis concedi sine consensu legitimi superioris.—2.º Laici ex solo privilegio apostolico habilitari possunt ad vocem activam eligendi (c. 54 h. t.), quia nullus Papa inferior derogare potest sac. canonibus. Papa verò ex plenitudine potestatis, sicut jus præsentandi, ita jus eligendi concedere potest laico.—3.º Laici ex nulla consuetudine vel præscriptione, etiam immemoriali, acquirere possunt jus eligendi Pastorem ecclesiasticum, c. 56 h. t.; ubi talis consuetudo vocatur corruptela. Nam laici id solum acquirere possunt consuetudine aut præscriptione, quod possidere; sed citra privilegium apostolicum, laici non sunt capaces possidendi jus eligendi, utpotè spirituale, saltè connexivè. Hoc tamèn princeps laicus præscribere potest, ut mors Prælati ei intimetur, consensus ejus petatur ad futuram electionem, et electio facta ei insinuetur: qui tamèn consensus denegare non potest, nisi subesset impedimentum canonicum.—His non obstant canonibus antiqui ex dist. 63, nam procedunt de simplici petitione et electione impropria per testificationem de moribus eligendorum.

74. Q. III. *Qui capitulares jure communi prohibeantur eligere?*

R. 1.º Excommunicati excommunicatione majori (cap. 23. de appell.)—2.º Suspensi ab officio (c. 46. in fin. h. t.)—3.º Interdicti personaliter, et temerarii violatores interdicti localis per celebrationem missarum, (ibid. et c. 48. §. is verò de sent. excom. in 6.), quæ dispositio, utpotè odiosa, non est extendenda ad alios irregulares, qui aliam censuram violant.—4.º Absentes legitime non impediti (c. 42. h. t.)—5.º Nemo potest eligere se ipsum (c. fin. de Instit.), quia interdantem et accipientem debet esse distinctio personalis.—6.º Nemo successorem suum eligere potest, licet eligendum commendare possit (c. 3. et seqq. 8. q. 1.), ut evitetur hæreditaria successio in prælaturis et beneficiis.—7.º Qui ex culpa aliqua privantur pro hac vice potestate eligendi, ut eligentes vel postulantes indignum (c. 1. 2. de postul. Præl.) et alii de quibus suis locis dicetur, et expressè habetur c. 41. 42. h. t. etc.—8.º His defectibus seclusis, potestas eligendi convenit Canonicis seu capitularibus illis solum, qui ad minimum subdiaconatus ordine initiati sunt (Clem. 2. de etat. et qual. Trid. S. 22. c. 4. de refor.), licet ex dispensatione ante annum vigessimum secundum tali ordine insignirentur, quia ætas ista non ratione sui, sed ratione sacri ordinis requiritur. Quod si nullus elector in sacris constitutus esset, potestas providendi non devolvitur citius ad Superiorem, nisi intra præfixum à jure tempus nulli ordinarentur, et habiles fierent ad eligendum (glossa in cit. Clem.)

75. Q. IV. *Quæ qualitates requirantur in eligendo?*

R. 1.º *Ætatis maturitas*, scil. triginta anni pro Episcopo, viginti quinque pro dignitate inferiori curam animarum habente, et viginti duo completi pro dignitate inferiori non curata (c. 7. h. t.)—2.º *Morum gravitas*, ibid. ad quam pertinet ortus legitimus, ordo sacer, vera fides orthodoxa, carentia cujuscumque censuræ ac irregularitatis.—3.º *Litterarum scientia* proportionata dignitati, ibid. Sic juxta Trid. S. 22. c. 2. de refor. eligendi in Episcopos debent esse doctores, vel licentiatii in theologia, vel jure Canon. etc.; toleratur tamèn mediocri scientia, cum adjuvari possit per consistoria et consiliarios.—4.º Eligendus debet esse *dignior*, hoc est, qui consideratis omnibus, speratur Ecclesiæ utilior futurus; et ad talem eligendum ex jure naturali graviter obligantur electores, ut insinuant sac. Canones (c. 49. d. 63. c. licet. 8. q. 1. et Trid. S. 24. c. 1. de ref.), quo tamèn non obstante, electio digni, omisso digniore, est valida (c. 49. §. his igitur c. 32. h. t.), tum quia in jure nullibi irritatur; tum quia secus aperiretur latissima porta calumniis et discordiis, dum quisque electionem vellet impugnare, ex eo quod non sit electus dignior; tum quia, licet electores graviter peccent, tamèn certum sit ex c. 6. de Regul. multa prohiberi, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.

76. Q. V. *Qui sunt ineligibiles?*

R. 1.º Ob impedimentum naturæ eligi prohibentur:—I. Infantes, amentes, furiosi, cum usu rationis careant.—II. *Ætatis præscriptæ defectum* patientes (c. 7. h. t. c. 3. de etat. et qual.);—III. Illegitimè nati (c. 20. h. t.)—IV. Filii catholici nati ex parentibus hæreticis usque ad secundam gene-

rationem in linea paterna, et ad primam in linea materna (c. 19 de hæret. in 6.):—V. Corpore vitiati ob irregularitatem, aut indecentiam (tit. de Corp. vitiat.)

2.º Ob impedimentum criminis, seu defectum morum eligi prohibentur:—I. Hæretici, eorumque fautores (c. 2. 19. de Hæret. in 6.)—II. Simoniaci (c. 23. 27. de Simon.)—III. Plura beneficia incompatibilia retinentes (c. 54. h. t.)—IV. Consentientes in electionem sui per abusum secularis potestatis factam (c. 43. h. t.)—V. Omnes illi qui gravibus delictis infamati sunt, ut schismatici, sacrilegi, usurarii, sodomitæ, falsarii litterarum apostolicarum, perjuri, publici aleatores, ambitiosi, qui in electionem suam ante formatum decretum consentiunt, ob quod electio ista est nulla (c. 46. h. t.), et alii infames infamia juris vel facti actu persistente. Vide Reiff. Schmalz. etc.

3.º Ob impedimentum canonicarum pœnarum eligi prohibentur:—I. Excommunicati, etiã minori excommunicatione (c. 7. et fin. de Cler. excom.) cui non obstat, quòd excommunicatione minori irrelitus eligere possit, quia jura plus requirunt ad eligi, quam eligere—II. Suspensi, sive ab officio, sive à beneficio (cit. cap. fin. et c. 8. de etat. et qualit.)—III. Personaliter interdicti, et violatores interdictorum localium et personalium (cap. 8. de consuet. c. 1. de postul. Præl.)—IV. Omnes irregulares, sive ex delicto, sive ex defectu, quia irregularis inhabilis est ad officium exercendum, ergò et ad beneficium quod datur propter officium—V. Deniquè eligi non possunt qui prohibentur postulari, vel non aliter admittuntur ad prælaturas, nisi ex gratia per postulationem.

77. Q. VI. An electio indigni, seu lege prohibiti, ex his relatis sit ipso jure nulla?

R. Tunc solùm esse nullam, dum Canones addunt clausulam irritatoriam; vel persona de jure naturali est inhabilis, ut infans, amens, prorsus illiteratus. Et quidè:—1.º Personæ, quæ postulandæ sunt, si eligantur, electio ipso jure est invalida (c. 20. de elect.)—2.º Electio censura irretiti pariter est nulla ipso jure (c. 7. de Cler. excom.), ampliatiè secundùm rubricam. Excipitur minori excommunicatione irretitus; hujus enim electio dicitur irritanda (cit. c. fin. de Cler. excom.)—3.º Electio indigni ob delictum, tunc solùm est invalida, cum jus non tantùm prohibet, sed etiã irritat electionem, uti est electio ambitiosi (cap. 46. h. t.), intrusi (cap. 43. eodem.), falsarii litterarum apostolicarum (cap. 7. de crim. falsi), simoniaci, dato et accepto pretio (Extrav. 2. de Simon. inter com.), et licèt ignorans fuerit, tamèn ad eandem prælaturam eligi nequit, nisi vitium simoniæ purgetur per intermediam personam (c. 59. h. t.); nisi pecunia data fuisset in fraudem electi, et is contradixisset (c. 27. de Simon.) Deniquè electio cujuscumque infamis infamia juris est nulla, ex reg. pen. in 6.: infamibus portæ non pateant dignitatem.—4.º Irregularitas per se non impedit valorem electionis, nisi ubi jura id expriment: est tamèn talis electio rescindenda, cum facta sit contra prohibitionem sacrorum Canonum (arg. cap. 8. h. t.), et de tali persona, quam superior confirmare nequit, (arg. cap. 1. de etat. et qualit.)

## § II.

### De forma et qualitatibus electionis.

78. Nota, formam electionis consistere in legitima ejus expeditione, secundùm solemnitates à sacris canonibus præscriptas. Ad formam *accidentalem* spectat convocatio electorum, tractatus prævius, determinatio loci et temporis, indictio precum per diœcesim pro impetrando bono pastore, missa de Spiritu S., hymnus *Veni creator* ab omnibus in loco electionis clara voce recitandus, protestatio de non excludenda persona habili, vel admittenda inhabili, absolutio à censuris in ordine ad effectum canonicæ electionis. Ad formam *substantialem* spectat triplex modus eligendi, scil. per scrutinium, compromissum, et inspirationem divinam, dum persona aliqua ex revelatione divina, vel per quasi inspirationem, ex unanimi omnium consensu eligitur (cap. Quia propter 42 hujus tituli.)—Qualitates præcipuæ electionis sunt: ut sit libera, et omni abusu secularis potestatis immunis.

79. Q. I. Quid juris servetur in convocatione electorum?

R. 1.º Justis persolutis defuncto prælato, regulariter non ante quàm post tertium depositionis diem, decanus, seu senior capituli, servata loci consuetudine, omnes legitimos electores convocat ad futuram electionem, etiã absentes extra provinciam, designato loco, die et hora electionis, c. 36 et 42 h. tit. ibi: qui debent, volunt, et possunt commodè interesse; alioquin non essent vocandi absentes, qui in tali loco existunt, undè commodè vocari et venire non possunt.—2.º Si plus quàm tertia pars electorum contempta seu non vocata est, ut septem ex viginti, electio erit nulla ex defectu potestatis, quæ residet saltèm in duabus ex tribus partibus capitularium (arg. c. 29 et 30 h. t. Abb. n. 9 ibid.) Si verò unus et alter, seu minor pars quàm tertia contempta fuit, electio jure subsistit, dummodò major pars *absolutè*, seu omnium jus suffragandi habentium in electum concurrat, ut undecim ex viginti, computatis absentibus; alioquin si ex viginti, duo absint, et decem faveant electo, nulla est electio, quia decem non sunt major pars *absolutè* (cap. 28 et 29 h. t.), ubi tamèn contemptis, ob injuriam eis illatam, conceditur facultas agendi, ut electio per superiorem rescindatur, nisi expressè vel tacitè eam approbent.—3.º Elector absens regulariter loco sui non potest constituere procuratorem (c. 42 §. illud h. t.); quia electio requirit industriam personæ eligentis, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit, ibid.; quo tamèn casu non constituetur procurator extraneus sine consensu capituli, sed unus ex capitularibus, qui jurando in animam suam, et sui principalis bis eidem suffragabitur, cum illum judicet digniorem, nisi haberet mandatum de certa persona eligenda. Quoad expensas capitularibus solvendas plerùmque servatur consuetudo: alioquin de jure communi solæ expensæ neces-

sariæ, quæ fiunt in negotio electionis, solvendæ sunt ex bonis prælaturæ vacantis (c. 45 h. t.)

80. Q. II. *Quid circa locum et tempus electionis servandum sit?*

R. 1.º Locus, in quo omnes electores congregandi sunt debet esse decens (c. 28. h. t.) Episcopi autem electio, nisi aliud habeat consuetudo, celebranda est in Ecclesia viduata (c. 28. eod.)—Nec ei officit interdictum, quia in loco interdicto, præter divina officia et sacramenta, ceteri actus capitulares videntur permitti.

2.º Tempus celebrandæ electionis à jure præfixum pro Ecclesiis cathedralibus et regularibus est trimestre (c. 41. h. t.); pro aliis inferioribus semestre (c. 2. de concess. Præb.) Nam vacatio Ecclesiæ cathedralis, et regularis majus nocumentum secum affert propter disciplinam et jurisdictionem in Clericos; ergo merito his Ecclesiis providendis brevius tempus statutum est. Tempus istud currere incipit à die habitæ notitiæ de vacatione, vel si justum impedimentum sit, à die remoti impedimenti, vel negligentia commissæ in eo removendo; ut si Canonici negligant petere absolutionem à censuris. Tempus istud est continuum, intra quod celebrari potest electio quocumque die, etiam feriata, cum id non reperiatur exceptum, non tamèn nocte propter suspicionem fraudis.

3.º Si intra præfixum à jure terminum electio culpabiliter non est sequuta, potestas eligendi et providendi, pro hac vice, devolvitur ad superiorem, qui debuisset electum confirmare (cit. c. 41. h. t.) Si autem superioris provisio ex quocumque capite fuit nulla, jus eligendi redit ad electores, cum illo tantum pro una vice privati fuerint.

81. Q. III. *Quid in tractatu prævio electores agere possint?*

R. 1.º Deliberare possunt de persona eligenda, si extranea et ignota sit; necessariò autem deliberatio ista non est præmittenda, ut communis tenet contra Donatum, cum id nullo jure requiratur.

R. 2.º Electores in hoc tractatu facere possunt capitulationes Ecclesiæ utiles ab eligendo servandas, v. g. ut electus morès in clero et populo reformet, pravas consuetudines evellat, et alia faciat, ad quæ ex officio pastoralis obligatur. Econtra capitulationes etiam juratæ in præjudicium Ecclesiæ, vel electi, sunt ipso jure irritæ, c. 27. de jurej. et cap. 4. eod. in 6. et ex Constit. S. Pii V. Durum 1570. Greg. XIII. Inter Apostolicos 1584. Innoc. XII. Ecclesia 1695. declarantium talia juramenta, utpotè de re illicita præstita, unà cum capitulationibus esse irrita; nam sede vacante, Ecclesia caret legitimo defensore; ergo gravari non debet à capitularibus, utpotè inferioribus; ut si vellent statum Ecclesiæ immutare, jura et bona Episcopi diminuere, etc.

82. Q. IV. *Quid sit de forma substantiali electionis per scrutinium facienda?*

R. Sequentes actus: 1.º Ipsum scrutinium seu secreta collectio suffragiorum, ad quam requiritur, ut capitulariter eligantur tres scrutatores, nisi ob paucitatem tot haberi nequirent, viri fide digni, et non formidabiles, qui jurent de fideliter agendo et secretum servando. Tum à se, et capitularibus, prius de eligendo digniori jurantibus, suffragia per schedas

colligant, accedendo etiam ad infirmos, si qui sunt. Quòd si vota viva voce dentur, scrutatores, vel tabellio deputatus cum duobus testibus juratis, redigent illa in scripturam, tum memoriæ causa, tum etiam ad faciliorem probationem.—2.º *Scrutinii publicatio*, vi cujus vota collecta in continenti, seu nullo actu extraneo interposito publicentur dicendo: v. g. *vota à dd. capitularibus collecta universim sunt 20*, et quòdque addi solet, in quas personas vota colliment. Effectus hujus publicationis est, quòd ea facta, electores censeantur functi suæ officio, ut amplius variare, seu votum datum revocare non possint. In electione Papæ, et abbatissarum id speciale est, quòd electores complere possint per accessum electionem ejus, qui respectivè majora vota habet (c. 6 h. t. et cap. 43 eod. in 6.); at in aliis electionibus non admittitur iste accessus (cap. 58 hoc. tit.)—3.º *Suffragiorum collatio*, quæ triplex est: *numeri ad numerum*, ubi confertur quot quisque suffragia habeat; *zeli ad zelum*, ubi confertur zelus et prudentia eligentium, an saniores sint; *meriti ad meritum*, ubi conferuntur merita et qualitates passivæ electorum. In electione Papæ et Regularium, imò hodiè in aliis quoquè electionibus attenditur sola collatio *numeri ad numerum*, quia pars major absolutè, v. g. undecim ex viginti, censetur simul esse sanior, isque hac singulari electione manet electus cui major pars absolutè, seu ultra medietatem capitularium suffragatur; nisi evidenter constaret electum à majori parte esse indignum; tunc enim præferendus esset electus à minori et saniori parte, cum tali casu potestas eligendi maneat penès minorem partem (c. 22 h. t.): v. g. undecim ex viginti suffragantur manifesto, simoniaco, vel illegitimo, vel non habenti ætatem pro Episcopatu, novem verò suffragantur idoneo et digno, is posterior censetur electus. Quòd si major pars pro nullo stet, præceditur ad novum scrutinium.—4.º *Decretum capitularis seu communis electionis, ejusque promulgatio*, et in hoc consistit: quod Præses capituli interroget capitulares, an placeat electum publicari? Si isti respondeant: *placet*, jam decreta est communis electio; ita dicta, quod ille, qui singulariter per majora capitularium vota electus fuit, jam simul ab omnibus capitularibus communiter eligatur. Tunc ergò Præses, ex decreto regulariter in scripturam authenticam redacto, ita pronuntiat: v. g. *Ego N. N. nomine meo, et nomine omnium eligentium, mihi que consentientium, in Episcopum vel Abbatem hujus Ecclesiæ N. eligo, et electum pronuntio, ac coram vobis publico N. N. (hic pronuntiat nomen electi) in nomine Patris, et Filii etc.*

Hæc omnia præscripta sunt in Conc. Later. sub Innoc. III, relato in celebri c. 42 h. t.; quorum, si vel unum omittatur, electio est irrita; electores verò per sententiam pro hac vice privandi sunt voce activa.—Hæc nota quòd, si electus ante hoc decretum commune formatum consentiret suæ electioni, tanquam ambitiosus fieret ineligibilis, et electio esset nulla (c. 46 h. t.)

83. Q. V. *Quid sit forma electionis per compromissum, et quæ sint ejus substantialia?*

R. 1.º Compromissum est actus, quo electores unanimi consensu transferunt potestatem eligendi in aliquos clericos, viros idoneos, intra vel extra capitulum, ut nomine et vice omnium Ecclesiæ viduatæ de pastore provi-

deant: (ex cap. 2 h. t.) Hi qui transferunt hanc potestatem, dicuntur *compromittentes*, quasi simul promittentes se ratam electionem habituros: hi, in quos potestas ista transfertur, dicuntur *compromissarii*; ipse verò actus dicitur *compromissum*, à quo *electio per compromissum* denominatur. Ad hanc formam requiritur:—1.º ut consentiant in compromissum omnes capitulares, per *reg. 28 in 6: Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Unde, si vel unus contradicat, compromissum non subsistit, quia per *reg. 56 in 6, in re communi potior est conditio prohibentis*.—2.º Ut compromissarii sint Clerici ad hoc munus idonei, regulariter numero impares, licet etiam in pares possit compromitti (c. 52 h. t.); imò in unum c. 8 eod., ubi moniales compromiserunt in Episcopum.—3.º Ut compromissarii servent limites compromissi: hoc enim fieri potest, vel *absolutè* de quocumque idoneo eligendo, vel *limitatè et restrictivè*, ut eligatur aliquis ex gremio capituli, vel quem major pars absolutè capitularium per vota secreta nominaverit, vel cum consilio aliquorum aut omnium capitularium: quo casu compromissarii obligabuntur petere consilium, non tamèn sequi, quia per *reg. 62 in 6*, nullus ex consilio obligatur.

2.º Modus eligendi, quem compromissarii servare tenentur, habet omnia substantialia scrutini, uti sunt suffragiorum collectio, publicatio, collatio, et tandèm communis electio; quibus ritè observatis, si à compromissariis idoneus est electus, tenentur compromittentes eum recipere (c. 8 et 52. h. t.).—Porrò, compromissum tribus potissimum modis expirat: *revocatione*, si re adhuc integra, compromittentes revocent compromissum, secùs revocatio non valet, si compromissarii jam incøperunt procedere in negotio electionis (c. 30 h. t.),—*lapsu temporis præfixi*,—*et terminatione electionis*; licet hæc quacumque ex causa non sortiatur suum effectum (c. 37 §. Si verò hoc. tit. in 6.)

84. Q. VI. An, si viva voce datis suffragiis, v. g. tres ex septem priùs consentirent in unum compromissarium, is, consentiendo in se ipsum, complere possit electionem?

R. Affirmativè, ut specialem hunc casum decidit Innoc. III. c. 33. h. t. Nam in tali casu primò et principaliter non eligit se ipsum, quod est ambitiosorum, sed eligitur ab aliis tribus, quibus tantùm consentiendo accedit et complet electionem sui. Similis dispositio habetur in Bulla aurea c. 2. §. fin., et exemplum est in Ruperto Imp. qui à Moguntino, Trevirensi et Coloniensi electus consensit suæ electioni, et Imperator renunciatus est.—Nec obstat c. 35. et 42. h. t.; nam ibi non requiritur, ut major pars eligentium in distinctum eligendum consentiat, sed præcisè, ut major pars eligentium concurrat, quod jam habetur in dato casu.

85. Q. VII. An electio debeat esse libera ab omni gravi injusto metu, et seculari potestate?

R. 1.º Affirmativè, secùs facta est irrita (c. 4. h. t.) Nam ecclesiasticæ libertati inimicum est per terrores et minas injustas cogi ad certam personam eligendam. Hinc Gregor. X. in Conc. Lugdun. relato in c. 12. h. t. in 6. pronunciat, *ipso facto excommunicationis sententia innodatos omnes illos, qui electores, quòd certam personam eligere noluerint, vel consanguineos*

eorum, Ecclesias, monasteria bonis suis spoliando, vel injustè persequendo, gravare præsumpserint. Quæ dispositio, utpotè Ecclesiis favorabilis, extenditur à DD. ad postulationem, confirmationem, institutionem etc.; itèm ad mandantes et exequentes, ob identitatem omnimodam rationis, cum hæc omnia comprehensivè includantur in *d. c.*

2.º Irrita est electio celebrata per abusum secularis potestatis, hoc est, dum laicorum unus vel plures immiscent se electioni, impediendo libertatem electorum c. 43. h. t. ibi: *quam ipso jure irritam esse censemus*. Abusus iste contingit: si electores teneantur petere consensum laici pro certa persona eligenda, c. 14. h. t.; si laicus præsumat coeligere, c. 28 d. 63.; si interessendo præstet auctoritatem, et si dicat, se id facere protectionis causa, cum protectio ista extra electionis locum obtineri possit. Excipe, nisi princeps haberet indultum apostolicum ad coeligendum, vel interessendum electioni.

86. Q. VIII. An electio contra præscriptam formam celebrata, vel electio indigni, qui laborat solo impedimento juris Ecclesiastici, sit nulla pro utroque foro externo et interno?

R. Affirmativè; ità Salmant. Suar. Barbos. et plurimi TT. ac Canonistæ, contra Innocen. Laym. Pichler etc. volentes illam in foro interno prodesse, antequàm per sententiàm ejus nullitas declaretur. *Probatum ex testibus, qui satis clarè innuunt jura has electiones irritantia obligare in conscientia*. Nam 1.º Alex. III. in Conc. Later. relato c. 7. h. t. in fin. ait: *dignum est enim. ut quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiasticæ saltèm coerceat severitas disciplinæ*; timor autèm Dei utique arguit obligationem conscientia. 2.º Innoc. III. c. 20. h. t. manifestè supponit illegitimum citra læsionem conscientia non posse consentire electioni; ait enim de Maugerio Archidiacon. Eborac., ibi: *qui spontè ac humiliter suum maluit confiteri reatum, quam lesa conscientia thronum conscendere pastorem*. Ratio est, quia Sedes apostolica non aliter concedit jus in prælatura, nisi sub conditione, si sac. Canones formam substantialem præscribentes electionibus observentur; ergò tali conditione non posita, nec ponitur valida electio, nec jus aliud ex illa acquiritur, et consequenter in foro interno non prodest electo.

Obj. 1.º Talis electio de jure naturali et divino est valida, ut supponitur; jus autèm humanum maximè occupatur circa forum externum.—2.º *cit. c. 7 h. t.* sermo est solum de electoribus, non verò electis, ne scil. pro foro externo eligant indignum, aut contra formam præscriptam—3.º *cit. c. 20 h. t.* defectus illegitimitatis fuit publicus, et forsàn archidiaconus illum negavit, alioquin Papa non diceret: *suum maluit confiteri reatum*.

R. Ad 1.ºm Solide probandum esset, quòd capitulo de jure naturali et divino competat potestas transferendi jus prælaturæ sive personale, sive reale in electum, cum potestas ista Petro data sit, aliis verò liberaliter à Sede Apostolica concedatur; ergò non satis bene supponitur talem electionem jure naturali validam esse, sed potius dicendum est, esse invalidam, nisi in ea observentur conditiones à Sede apostolica præscriptæ: sicut invalidæ sunt usucapiones pro utroque foro, nisi servatis conditionibus à jure præ-

criptis. Vel transmissio antecedenti, dic, jus naturale in hoc puncto purè permissivum sufficienter à sac. Canonibus determinari ad ita obligandum, sicut præscribunt sac. Canones.—*Ad 2. m* Si jura ista stringunt electores in foro conscientiae, cur non stringant electum?—*Ad 3. m* Dato, quò defectus fuerit publicus, tamèn conscientiam lædere non potuit ante sententiam in adversariorum opinione: alterum de negatione hujus defectus, quò dicit Clariss. P. Pichler, videtur nimis violentum et difforme textui dicenti: *qui spontè etc.* Vox *reatus* latiùs sanè patet, quam ut ex illa peccatum mendacii colligatur. Argumenta generalia vide *tit. 2 de Constit. n. 22 de legib. irritant.*

87. Q. IX. *Quæ sit pœna delinquentium in electionibus?*

R. 1.º Electores in casu negligentiae, si intra præfixum à jure tempus non eligant, privantur pro hac vice potestate eligendi, et hæc devolvitur ad superiorem, cujus erat electum confirmare (*c. 41 h. t.*), ut suprà dictum.

2.º Si capitulares scienter eligant indignum, hoc est, prohibitum eligi, pro hac vice privati sunt potestate eligendi, et per triennium suspensi à beneficiis, seu totali perceptione fructuum et administratione (*c. 7 in fin. h. t.*), non tamèn ab officiis. Si verò formam electionis non observent, per sententiam privandi sunt potestate eligendi (*c. 42 in fin. h. t.*)—At circa devolutionem potestatis discrimen est faciendum: et quidèm, si eligitur indignus ad dignitatem cathedrali inferiore, vel forma in ejus electione non observatur, potestas eligendi ad superiorem proximum devolvitur, cujus erat electum confirmare; et si Episcopus in hoc deliquit, potestas providendi devolvitur ad capitulum, et hoc discordante ad Metropolitanum. Si verò eligitur indignus ad Ecclesiam cathedralem, vel forma in ejus electione non servatur, potestas eligendi devolvitur ad Romanum Pontificem. Ità Bonif. VIII. *c. 18 h. t. in 6.* authenticè interpretans decreta utriusque concilii Later. relata in *c. 7 in fin. et cap. 41 42 in fin. h. t.*, nisi electioni indigni minor pars contradiceret, tunc enim penes hanc est potestas eligendi, *c. 22 h. t.*

3.º Si compromissarii eligant indignum in Episcopum, pariter triennio sunt suspensi à beneficiis Ecclesiae, ad quam indignum elegerunt, et potestas eligendi, si adhuc durat tempus legale, redit ad electores, nisi et hi consenserint in electionem indigni, vel eam ratam habuerint; tunc enim et dictam suspensionem incurrunt, et privantur potestate eligendi, hac ad Papam devoluta. Hæc tamèn suspensio non habet locum in Episcopo compromissario, nec in casu, quo inferior Episcopo eligitur. Ità hæc omnia decedit Bonif. VIII. (*c. 37 h. t. in 6.*)

4.º Si electio celebrata est per abusum secularis potestatis, electores ipso jure privantur potestate eligendi per triennium, ab officiis et beneficiis perpetuò suspenduntur non ipso jure, sed per sententiam: ipse verò sic electus, si consentiat in sui electionem, ipso jure fit ineligibleis ad aliquam dignitatem; (*c. 43 h. t.*) potest tamèn Canonicus vel Parochus fieri, cum Canoniam et Parochiam non sint dignitates.

### § III.

#### De intimatione et confirmatione electionis.

Postquam electio substantialiter peracta est, et secundum consuetudinem loci clero et populo promulgata, intimari debet electo, et si eam acceptet, confirmari debet à superiore: et si lis contra electum vel electionem oriatur, ea terminanda est ante confirmationem.

88. Q. I. *Quandò electores teneantur electo intimare electionem?*

R. Circa hoc observandam esse constit. conc. Lugdun. sub Greg. X relata *c. 6 et 16. h. t. in 6.* Et quidèm:—1.º electores, quamprimum commode fieri potest, tenentur electo præsentare electionem, ejusque consensum petere. Si verò ultra octo dies culpabiliter præsentationem distulerint, ipso jure exclusi sunt à prosecutione electionis quoad suas Personas, et per triennium suspensi ab omnibus beneficiis, quæ tunc obtinent in ea Ecclesia (*c. 16. §. ceterum b. t. in 6.*); ne scil. Ecclesia per diuturnam vacationem detrimentum patiatur.—2.º Electus, si commode electionis vult frui, tenetur intra unum mensem, seu intra tot dies quot habet mensis, quo facta est præsentatio, consensum suum præstare; alioquin excidit jure electionis (*cit. c. 6.*), nisi esset talis persona, v. g. religiosus, quæ longiori tempore indigeret pro petendo consensu superioris, *ibidem.* Acceptata electione, si electus præsens sit, juxta loci consuetudinem processionaliter cum pulsu campanarum deducitur in Ecclesiam, et ibi post hymnum ambrosianum decantatum, in episcopali cathedra inthronizatur.—3.º Electus, si vult, regulariter renunciare potest electioni præsentatæ, imò et acceptatæ, ante confirmationem, cum id nullo jure prohibeatur, et favori pro se introducto quisque renunciare possit (*l. fin. C. de Pactis*), nisi Ecclesiae necessitas aliud exigeret; tunc enim à superiore cogi posset ad acceptandam electionem.—Facta renunciatione, electoribus pro nova electione iterum conceditur novum trimestre, vel semestre (*ex c. 41. h. t.*) Notant tamèn DD. quòd electus post renunciationem intra illum mensem mentem mutare, et electionem acceptare possit, re adhuc integra, si capitulares necdum processerunt ad novam electionem.

89. Q. II. *Quid juris electus per electionem acquirat?*

R. Ritè facta electione, ante hujus acceptationem acquirit jus personale, seu ad rem, non absolute, sed conditionatè, *si acceptaverit*; facta autèm acceptatione acquirit jus personale absolute, non verò jus reale, seu quasi dominium in prælatura; com. contra Joan. de Selva. Nam electio acceptata habet se sicut sponsalia, confirmatio sicut matrimonium ratum, et consecratio sicut matrimonium consummatum; ergò sicut per sponsalia acquiritur tantum jus ad rem, ità et per electionem acceptatam, (*arg. c. 2 et fin. de Transl.*); tum quia (*c. 16 de Accus.*) dicitur crimen per exceptionem electo ante confirmationem objectum, *impedire promovendum*, ne confir-